



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA CALCUTTENSIS

(BALASORENSIS) \* QUIBUSDAM DETRACTIS TERRITORIIS EX ARCHIDIOECESI CALCUTTENSI,

NOVA CONSTI. TUITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA,

«BALASORENSIS» NOMINE Rerum condicio catholicarum, quae et vigore magis magisque in  
Calcuttensi archidioecesi videntur, et pleniorum inde requirunt procurationem, profecto inducunt  
ut, propositum accipientes Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de  
Propaganda Fide, certa de eadem archidioecesi territoria detrahamus, iisque novam praefecturam  
apostolicam condamus. Hoc enim perspicuum est constatque inter omnes, ubi multiplicentur  
ecclesiasticae circumscriptiones copiaque sacrorum Antistitum fiat, ubiores ibi oriri colligique  
pastoralium laborum fructus. Suprema ideo usi Nostra potestate sequentia decernimus ac  
iubemus. Ab archidioecesi Calcuttensi eam territorii partem separamus, quae finibus districtuum  
de Balasore, de Mayurbhanj et de Keonjhar terminantur eandemque praefecturam apostolicam  
constituimus, ex urbe Balasore *Balasorensem* appellandam. Eam praeterea provinciae  
ecclesiasticae Ranchiensi adiungimus atque Sodalibus Congregationis Missionum regendam  
concredimus, ad Nostrum tamen atque Apostolicae Sedis nutum. Nova igitur praefectura  
apostolica iis cunctis iuribus fruetur, quibus eiusdem ordinis Ecclesiae, ad normam Codicis Iuris  
Canonici. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita  
quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim  
suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta  
officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis  
Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et  
locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica  
dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda  
erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis iunii, anno*  
*Domini millesimo nonagesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri quinti.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

*S. R. E. Cancellarius*

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

*S. Congr. pro Gentium Evangelizatione*

Rodomons Galligani

*pro Apostolicae Cancellariae Regente Eugenius Sevi, Protonot. Apost.*

---

Iosephus Massimi, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 1, pp. 12-13

© Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana